

ter eneruare uisus est. Literis literatis non exulta uita nostra, quid aliud quàm barbara quædam censenda est barbaries: Certe bonarum artium studijs, homini præsertim ad immortalitatem contendenti, nulla est possessio uel certior, uel securior: cum quod hæc una possessio, animū ad solidæ uirtutis amorem inflammat: tum quod ea ab initio qui usi sunt, ut uerè inquit Sapiens, participarunt amicitia Dei. Vos uerò P. C. quàm rectissimè consultum esse optetis Reipub. literariae, abunde testantur tot passim illa uestrae liberalitatis collata in studiosos subsidia. Et est alioqui apud uos in magno precio philosophiæ studium: tum præcipuè in maiore honore haberi à uobis eos autores, qui Mathematica conscripserunt, uel hoc nomine, quod Mathematicarū rerum cognitionem, numerare soletis inter pulcherrimas atq; utilissimas philosophiæ partes: ut inde uobis non solum multam utilitatem percipiat priuatim, sed apud exteros quoq; & doctos harum rerum, summam non rarò inire uisi sitis gratiam publicè. Habuit ordo uester Senatorius semper tales uiros, qui uel pulcherrimarum artiū fuerint studiosi, uel saltem qui à rectis studijs non essent prorsus abhorrente animo. Quæ laus cum ipsam secum ferat honestatem, non potest non esse pulcherrima. De uobis, qui hodie gubernacula Reipub. tenetis, ut paucis absoluere, quod dicere uolo, non possum: ita à me dedicatum uobis Archimedes Siculum illum, Mathematicarum disciplinarum facile, iudicio doctorum omnium, principem, benignè equidem accipere debetis. Hoc enim uno renato, uniuersa Mathesis renata uideri queat. Fuit hætenus in Mathematicis scriptionibus Archimedis nomine celebrius nihil, at qui uerè oculis suis tanti autoris monumenta uiderit, quem mihi conspiciendū dabit: Bilibaldus Pirekheymerus, quem uos, dum uiueret, inter doctos doctissimum nominari haud grauatim passi estis: ille inquam, ut erat uir excellentis ingenij, cum Rhoma græcè scriptum Archimedis nostri exemplar, opera amici cuiusdam, tandem post longam expectationem accepisset, non tantum quasi uilem aliquem in ædibus suis passus est habitare hospitem, sed illū quotidianæ studiorum suorum consuetudini uoluit esse consortem. Quippe qui nō ignoraret, hoc studiorum genus olim semper religiosissimè ab ipsis summis regnorum moderatoribus, illisq; sapientissimis, & cultum fuisse, & celebratum. Hinc Plato philosophorū lumen, in libris de Legib. scribens, suo more præcipere audet, Geometriam (ut alia præteream) discendam esse à liberis hominibus. Quem sequutus M. Fabius Quintilianus, hanc ipsam disciplinam futuro Oratori, non tam utilem quàm necessariam etiam esse putauit. Itaq; rem gratam facturum meratus sum, si eum autorem uestris potissimum auspicijs in diem protruderem, qui unus adhuc ad Mathematicas perfectiones absoluendas deesse uidebatur. Cæterum, quæ animis uestris insita est modestia, nō egrè laturi estis, si extremos huius editionis fructus, ad uniuersos bonorum stu.

Lib. 7.